



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. XVI. Conserua me Domine. Carm. gen. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

PSAL. XV. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? &c. Carm. gen. 15.

STellata cæli templa quis incolet
 Rex magne tecum? quem statues tuum
 Sanctum super montem, ut malorum
 Liber agat placidam quietem?
 Quem fraudis expers simplicitas iuuat:
 Urgetq; rectum propositi tenax:
 Nec mente sæuus grata blandam
 Edocuit simulare linguam.
 Nec ore mendax exitiabiles
 Concinnat artes: nec mala proximis
 Excogitat, nec dulcem amicum
 Opprobrijs maculat pudendis.
 Qui fastuosum despicit impium,
 Dei timentem suspicit & pium:
 Tenaxq; promissi, fidemq;
 Indocilis temerare pactam.
 Qui non egenos scœnore perdidit,
 Non innocentes munere prodidit.
 In monte sancto, hæc qui peregit,
 Perpetua requie fruetur.

PSAL. XVI. Conserua me Domine. Carm. gen. 2.

O Rerum sator, & salus
 Humani generis certa periculis,
 Qui te respicit unum, famulū instatibus eripe.
 Te seruus Dominum libens
 Agnosco, & populis prædico: sed tibi

B iij

Omni ex parte beato officijs nil opus est meis.

Ergo illuc animum appuli,

Vt gentem studio prosequerer pio,

Quam tu ex omnibus unā populis forte rece-

Ast illi immemores tui (peras.

Defecere: nouos quisq3 sibi deos

Effinxere, colentes animi ludicra somnia.

Horum sanguineas dapes

Non libabo, epulas respuo: nomina

Testis nunquā adhibebo, aut fidei fœdera san-

At fortis populum meæ (ciens.

Defendet Domini perpetuus fauor,

Mercedemq3 laborum cumulatam dabit affa-

O pulchra agricolatio, (tim.

O præclara mei sors patrimonij:

Vt florum undiq3 ridēs animū pascit amœni-

Immortalis honor Deo (tas

Aeterno, monitu cuius ago dies,

Arcanisq3 per umbrā stimulor pectora moti-

Quicquid molior, aut gero, (bus.

Præsentem Dominum conspicio: is mihi

Semper dexter adhæret, stabili ne mouear gra-

Pulsat pectora gaudio (du.

Cor læto trepidum: lingua tuas auet

Laudes promere: corpus tacitè spes bona re-

Nam nec degere Tartari (creat.

Permittes auimam sub tenebris meam,

Aut ut putre cadauer resolutū in cineres fluat.

Tu uitæ reseras uiam:

De uultu fluuii lætitiæ tuo

Manant: tu tribuis munifica gaudia dextera.

PSAL.